

DISSERTATIO ACADEMICA;

CONTINENS

HISTORIAM REGUM  
HOLMGARDI-  
CORUM

A RURECO USQUE AD IMPERII  
HUJUS MUTATIONEM SÆ-  
CULO XIII FACTAM,

QUAM

*Consentiente Amplissima FACULTATE Philos.  
in Reg. ad Auram Academia,*

PRÆSIDE

MAG. JOHANNES  
BILMARK,

HISTOR. & PHIL. PRACT. PROF. Reg. & Ord.  
PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBMITTIT

CHRISTOPHORUS HOPPIUS,

WIBURGENSIS.

Die XIV. DEC. ANNI MDCCLXIV.

L. H. A. M. C.

ABOÆ, Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

à MONSEIGNEUR,  
MONSEIGNEUR  
De **PANIN,**

SENATEUR & CONSEILLER PRIVÉ ACTUEL De SA  
MAJESTÉ L' IMPERATRICE de Toutes Les Rus-  
sies, GRAND MAÎTRE DE LA COUR & CHEVALIER  
DE L' Ordre de SAINT-ANDRÉ.

MONSEIGNEUR.

**S**ouffrez, MONSEIGNEUR, que je sorte pour un mo-  
ment de mon obscurité, pour Vous témoigner quelque  
marque de ma soumission. Penetré de l' hommage que  
tout

*tout le monde rend avec tant de raison à Vos rares qualités, je ne saurois m'empêcher de me ranger du côté de leurs admirateurs. On trouve en Vous, MONSEIGNEUR, un courage invincible, qui égale celui des Héros de l'antiquité les plus illustres, une connoissance parfaite de tous les arts, qui rendent le genre humain si heureux, une grandeur d'ame extraordinaire & une pénétration, à qui rien n'échape, & encore plus on est parfaitement convaincu, que toutes ces grandes qualités sont accompagnées d'une sagesse & d'une modération, qui en relevent beaucoup le mérite. Quant à moi, laissant à d'autres tous ces objets, qui sont audessus de ma sphère, je me borne, MONSEIGNEUR, particulièrement à admirer la grace, avec laquelle Vous protégez tous ceux, qui cultivent les arts & les sciences. C'est le seul motif, qui m'a fait hasarder à Vous offrir ce petit ouvrage Academique, qui contient une partie de l'Histoire de nos Ancêtres. J'ai taché de la tirer*

*des*

des tenebres, où un silence de plusieurs Siècles l'a enseveli. Recévez cet essai, MONSEIGNEUR, je VOUS en supplie, avec cette bonté, qui VOUS est si naturelle, & daignez accorder desormais VOTRE haute protection à celui, qui met toute sa gloire à VOUS prouver sa profonde vénération, & à se pouvoir dire

MONSEIGNEUR,

VOTRE

*très humble & très obéissant  
serviteur*

CHRISTOFFLE HOPPIUS.



## PRÆFATIO PRÆSIDIS.

**L**ongum satis est tempus, ex quo nulli omnino peperci operæ, ut præcipua monumenta, quæ ad illustrandam atque amplificandam Historiam Holmgardicam, spissis nimis involutam tenebris, pertinent, ex antiquissimis Auctoribus collecta in apricum producerem. Horum quoque sensim sensimque obtinui molem, opinione mea longe majorem; sed ad quam rite digerendam, ut sine nausea legi posset, haud exigua requirebatur solertia. Opus tamen hoc sum adgressus, tentaturus solummodo, quid in arduo hocce negotio efficere possem. Dies vero diem docuit, posse molestias obvias labore, qualem mei etjam ferrent humeri, quodammodo superari; quocirca ex rudibus fragmentis, quatuor composui de Holmgardia dissertationes Academicas, easdemque publicam lucem adspicere permisi. Publico docendi muneri in

A

illu-

illustri hac Academia postmodum admotus, negotia majoris momenti continuo augeri suum expertus, nec otia, quibus meas rite disponere possem observationes, impetrare potui necessaria. Ne tamen Amici, qui telam hanc Historicam ad umbilicam deductam cupierunt, atque, ut calcar mihi adderent, benignas admodum de meis lucubrationibus tulerunt sententias, spe sua frustrarentur, nuper persuasi Commilitonibus Honoratissimis, qui meo, ut dici siveit, præsidio in speciminibus suis edendis frui vellent, ut schedulas meas de memorabilibus Holmgardiæ perlustrarent & acriter examinarent, nec non quæ notatu digna invenirent, in justum redigerent ordinem, redactaque ita perpolirent, ut commentationes eorum adspectum Eruditorum quodammodo sustinere possent. Has in partes haud operose perduxi Pereximium atque Doctissimum Dominum **CHRISTOPHORUM HOPPIUM, Wiburgensem**, qui pro eximio, quo pollet, ingenii acumine, nec non amore, quo suam amplectitur Patriam, quam partem regni Holmgardici constituisse novimus, Historiam Regum Holmgardicorum inde a Rureco usque ad gravissimam imperii conversionem, sub Tataris factam, singulari industria atque judicio ita exposuit, ut nihil invenerim, quod operi ipsius addere aut deberem aut possem. Speramus vero, quod amplissima Moschovitarum Natio, quæ sub auspiciis **AUGUSTISSIMÆ IMPERATRICIS** non minus propter felicem armorum successum, quam eximium litterarum studium nostro ævo mirum in modum eminent, egre.

gregia admodum, sed fere obsoleta, Majorum suorum facinora haud invita leget, nec alumnos, qui ad splendorem Patriæ symbolam quandam conferunt, iusta desiderare præmia pro ea, qua est, magnanimitate unquam patietur.

§. LII.

**I**nter fumantia occisorum cadavera ferocem exhalaverat animam HWITSERKERUS, nec filios, qui ipsi in imperium succederent, reliquerat ullos. Cum igitur gravissimis concuteretur Holmgardia motibus, illinc acerrimis hostibus ipsam undique vexantibus, hinc vero Principibus de summa imperii inter se contendentibus; Quidam *Gostomissel* dictus, illustris Novogardiæ (a) civis, qui publicam magis salutem, quam suum intuebatur splendorem, in medium consuluit, ut Holmgardi legatos trans mare in Waregiam (b) mitterent, ex hac populorum ac Principum vagina Regem petituos (c). Valuit salubre adeo consilium & auctoritas tanti Viri; atque ex Waregia tres Principes (d) RURECUS (e), SINNAUS (f) & TRUVORUS (g) huc accesserunt, quibus fasces Imperii An. 866 (h), paucisque adeo annis post, quam HWITSERKERUS in Oriente occubuerat, sponte sua subjecerunt Holmgardi (i). Quocirca non reticendum est, quod ab adventu horum Principum nova Historiæ Holmgardicæ epocha incipiat, a qua æra plerumque suos inchoant

annales antiquissimi Scriptores. Sed ad Rurecum  
 revertimur. Vidimus modo, quod ex Waregia or-  
 tum duxerit; quænam autem terra per hanc indigi-  
 tetur, de eo diu satis inter se dissenserunt Eruditi.  
 Nemo autem jam amplius dubitat, quin Svethia Prin-  
 cipum memoratorum fuerit patria. Superest tamen  
 adhuc, ut inquiramus, quibus parentibus suos debe-  
 at natales Rurecus. Solutionem ardui hujus proble-  
 matis Genealogici primus adgressus est Neb. DA-  
 LIN, *Rurecum* vel ERICUM hunc, ERICI BJOERN-  
 SONII majorem natu filium atque BJOERNONIS  
 HAUGENSIS fratrem fuisse, perquam acute adstru-  
 ens (*k*). Sunt autem plura, quæ impediunt, quo-  
 minus sententiæ huic, quantumvis argutæ, adfurgere  
 queamus. Cum enim *Ericus* BJOERNSONIUS  
 HWITSERKERI ex fratre BJOERNONE JÄRNSI-  
 DA pronepos fuerit (*l*); animum inducere non possum,  
 ut credam, ipsum tunc temporis natum fuisse, vel si  
 hoc verum ponamus, non tamen nisi invita verita-  
 te adstrui potest, Holmgardos infantulo huic turbi-  
 dum imperii sui statum committere voluisse. Nascun-  
 tur quidem Heroës, sed animi magnitudinem in fa-  
 sciis non probant. Immo cum ERICUS modo nomi-  
 natus regnum Svethiæ tenuerit; parum verisimile est,  
 quod splendidum, idemque avitum hoc imperium cum  
 Holmgardico, minus tunc illustri, commutare volue-  
 rit. Tandem utramque in præsentī negotio facit  
 paginam, quod opinio DALINIANA Chronologiæ ne-  
 quaquam conveniat. Missa igitur hac sententia, pro-  
 pius ad veritatem nos accessuros speramus, statuendo



Rurecum vel Ericum memoratum fuisse RAGNARI LODBROKII maximum natu filium, quem ex prima conjuge THORA HERROEDERI, Sudermanniaë atque Ostrogothiæ Ducis, filia susceperat, atque adeo HWITSERKERI fratrem, quem ob vires ingenti animo pares, nec non Heroica facta passim celebrant annales nostri (*m*). Facile enim ad habendas imperii Holmgardici capeffendas adduci potuit hic Princeps, cum nullum haberet regnum, fratre Bjoernone Järnsida avitum solum tenente. Nec multum movebimur, si quis nobis objiceret, Ericum hunc ista tempestate provectæ admodum ætatis fuisse; cum facilius ista dicantur, quam probentur. Etenim cum HWITSERKERUS, ceu in antecedentibus monuimus, florenti decesserit ætate, nec solum Holmgardicum diu vacaverit, certe senecturis ærumnas nondum sentire inceperat laudatus Princeps, cum Holmgardorum annuit votis. Natalibus ita Rureci inventis atque vindicatis, instituti ratio nunc postulat, ut exponamus reliquam ejus Historiam. Postquam igitur in Gardariciam appulerunt hi Triumviri, amplissimum hoc regnum, populo non refragante, inter se dividerunt, ita quidem, ut Rurecus Ducatum Novogardensem (*n*), Sinaus Bielo-Oferoënsis & Truvorus principatum Pleschoviensem (*o*) obtinuerit, summa interim imperii manente penes Rurecum (*p*). Sinao autem & Truvoro brevi post defunctis, totum Holmgardicum imperium solus obtinuit Rurecus. Post tantam rerum conversionem sedem imperii, quam ad lacum Ladogam

hactenus habuerat Rurecus, Novogardiam transtulit, urbemque hanc & auxit & valde ornavit. Interea dum hæc geruntur, in amicitiam suam recepit, diuque apud se retinuit ASLACUM (q), patrualem suum, qui in expeditionibus HWITSERKERI fortiter admodum sese gesserat. Sed altiores hic Princeps aluit spiritus, pro imperio obtinendo nihil non sibi licitum putans. Quod vero aperto Marte se consecuturum desperabat, id dolis efficere conabatur. Persvasit igitur Rureco, Holmgardorum animos otio hebescere, ideoque novis in Orientem expeditionibus esse acuendos. Non atpernabatur conditionem Rurecus, nullas sibi insidias a Principe, quem impense dilexerat, futuras existimans. Hic vero, adsumtis uxore & liberis, nec non magna Waregorum cohorte stipatus, ut Kioviã peruenit, urbem hanc in suam redegit potestatem, principatum ibi constituit & denique partem haud exiguam Poloniæ suo adjecit imperio (r). Quieuit impræsentiarum Rurecus, occasionem quærens vindictam extorquendi, quam haud ita multo post obtinuit satis idoneam. Cum enim Aslacum in Orientales terras abripuerat bellandi ferocia, atque res ibi perquam infelicitè gesserat, civitati, viris exhaustæ & propter cladem Principis sui animum despondenti, supervenit Rurecus, ipsamque, victis & interfectis seditionis auctoribus, ad officium redire coëgit (s). Præter hoc vero nullum est Regis hujus in re militari illustre factum; æquitatis vero & prudentiæ multa. Nam ut paucis me expediam: urbes plures exstruendas cura-

ra-

ravit, antiquas amplificavit, egregiis institutis afflictas Holmgardorum res juvit, atque inter alia fancivit, ut major natu Princeps patri in imperium succederet, ceteri autem filii, si qui essent, provincias regendas acciperent. Qui perversus dividendi imperium modus per plura deinde secula hic viguit (1). Post hæc circa An. 878 decessit egregius hic Rex, magnum sui desiderium relinquens, quippe quem, ceu imperii statorem, venerati sunt posterii.

(a) Quod Novogardenses ex Waregia Principem consideraverint, minime est mirandum, cum & ipsi ex hac terra suam traxerint originem. Vid. *Chronicon THEODOSII Kioviensis*, editum a Cl. MÜLLERO in *Sammlung Russischer Geschichte Part. I. p. 10.* (b) De situ Waregiæ tot diversas invenimus sententias, quot ferme sunt Auctores. Referunt enim quidam annales Russorum, *Wolchovienses* seu *Wolkowenses*, populum Slavonicum ad littora Borysthenis habitantem, intestinis discordiis diu laborasse, postea vero variis casibus ita dispersos fuisse, ut quidam eorum Pologiam, alii autem Russiam occupaverint. Quocirca cum Vocabulum *Wolck & Goth. Warg* plane sint synonyma, & Lupum denotent, *Waregos* non alios, quam *Wolchovienses* fuisse, oppido colligunt. Vid. *STRAHLENBERGI Nord- und Ost- Theil von Europa p. m. 194 in not.* Enimvero si in his regionibus quaerenda sit Waregia, quodnam quæso, fuit mare illud, quod transfretarent Caduceatores Holmgardorum, novum sibi regem petitori? *CLAUDE DAURET dans son Tresor de l' Histoire &c. p. 864* existimat per *Waregiam* indigitari *Vandaliam*. Quam vero inepta sit hæc sententia, his litteris vel mediocriter imbutum fugere potest neminem. Multi quoque, sed  
æque

æque sinistris avibus exilimant, Waregiam eandem prorsus esse cum Wagria in Holsatia. Cum autem rariora fuerint horum populorum commercia, rarissima, vel forte nulla Holsatorum eo tempore in Holmgardiam merita, nulla omnino subest ratio, cur ad ignotas hæc miserint gentes, ut regem impetrarent. Alii cogitantes, affinitatem quandam intercedere inter *Waregiam* & Gallicum *Varech* (descendens a Goth. *vag, vâg, unda & reka* movere, unde navis quæ naufragium fecerat *Wagrek* dicebatur, conf. *STYRLONIDIS HeimsKringla Tom. I. p. m. 241.*) quod quidquid ex aqua ejectum est, denotat, in illam iverunt sententiam, quod Waregi non nomen proprium, sed appellativum olim fuerit, indicans populum, piraticam facientem; Vid. *Cl. MULLERUM loc. cit. p. 4.* De veritate autem hujus opinionis, quantumvis argutæ, multum decedit, quod in Annalibus Russorum regio expresse nominetur Waregia, ex qua in Gardariciam accessit Rurecus. Doleo præterea vices Legatorum Holmgardicorum, si ad Waregos, ex nominata hypothesei piratas quosdam sese conferrent, quippe qui castra nautica in eodem loco diu olim non habuerunt. Objectis his scopulis ita superatis, recta in Svethiam contendimus, quam eandem prorsus cum Waregia esse, breviter nunc ostendemus. Igitur cum Holmgardi Principes suos ex Svethia sæpius antea impetrassent, atque ex pristino cum Svecis foederum nexu circa obitum *Hvitserkeri* nondum essent soluti, veritati admodum conveniens est, Holmgardos, Majorum morem imitatos, ex regia domo Upsaliensi Principem ambitiose quæsisse. Si porro iter legatorum Holmgardicorum lustremus, sponte sua in Svethiam deferimur. Transierunt enim mare, quod ipsorum lingua dicebatur *Wageskoi* seu *Wareskoi-mare*; quo nomine cum mare Balticum etiamnum denotent Russi, perversam omnino sequuntur cynosuram, quotquot in Waregiam navigaturi ad Svethiæ litora non appellant. Porro si nomina

Wa-

Waregiæ & Svethiæ (*Sverige*) paullo attentius expendamus, illud in hoc contineri invenimus; sicut pridem observavit Nob. DALIN *Histor. Patr. Tom. 1. p. m. 303. not. 2.* Adeoque ex *Sverige* Holmgardi fecerunt Weregie seu Waregie, quemadmodum Fenni adhuc *Sverige* per *Verige* pronunciant. Russi enim atque Fenni ex duabus consonantibus initialibus priorem eliminare solent. Frustra igitur sese torquent, quotquot Waregorum nomen a Goth. *Warg*, id est *lupo*, operose derivant, nomenque hoc populi Septemtrionalibus ob nimiam eorum ferociam impostum fuisse existimant. Waregiam esse Svethiam indubiis præterea argumentis monstrat Historia. In sequentibus enim videbimus, quomodo WISIWALDUS, WALDEMARI filius, cum a fratribus esset expulsus, ad Waregos confugerit, horumque opem imploraverit. Cum vero profugus hic Princeps dolis SIGRIDIS Storrædæ in Svethia haud ita multo post perierit; Svethiam genuinam fuisse Waregorum Patriam, dilucide constat. Ne quid vero desit, sententiam nostram illustris Russi præclaro testimonio adhuc confirmabimus. Est is CYPRIANUS Archimandrita, qui cum patria ejus intestinis motibus iterum agitabatur, nec cives sui de novo Principe inter se convenire poterant, graviter consuluit, ut ad *Svecos* sese converterent; ex antiquitate enim & Historiis posset probare, centenis aliquot annis ante Novogardiam, Moschorum imperio subiectam, gavisam fuisse Principe ex Svethia accepto, RURECO, Confr. WIDEKINDI *Histor. Belli Spec. Moschov. Libr. 8. p. m. 403.* (c) Vid. HERBERSTEINI *Commentar. rerum Moschoviticarum p. 3.* nec non SIRAHLENBERGII *libr. cit. p. 197.* (d) Hos non germanos fratres, quamvis a nonnullis ita appellentur, sed amicos & commilitones fuisse Rureci, plura sunt, quæ favent, Vid. omnino DALINI *Libr. cit. p. m. 539.* (e) De etymo hujus nominis vid. *Dissertation. 7. HELSINGII de Originibus Princeps Gentis Waregorum p. m. 14.* Forte RURECUS

coincidit cum RODERICO, & tunc deduci potest a rāda con-  
 filio & imperio pollere & rik quod divitem notat. Rufforum Prin-  
 cipes, nec non HENNINGES in *Theatro Genealog.* deducunt genus  
 RURECI ex familia Augusti, Imp. R., quam tamen sententiam  
 false refutat J. P. SYJEBERUS in libro: *Untersuchung der Hohen  
 Verwandtschaft des Groß-Uzarischen und Mecklenburgischen Hauses,*  
 p. m. 40. (f) Nomen hoc non aliud est, quam depravatum  
 SUNE, (g) Ab hoc descendit hodiernum Trued. (h) HER-  
 BERSTEINIUS in Genealogia Magni Ducis Moschovix, præ-  
 missa operi ejus historico, fatetur, se ex annalibus Russo-  
 rum edoctum esse, adventum RURECI An. mundi 6370 conti-  
 gisse. Huic autem anno respondet annus aræ Christianæ  
 862, non annus 562, ut censet HERBERSTEINIUS *loc. cit.*  
 nec annus 752, ut opinatur PETREJUS in *Sciographia regni  
 Muschovitici* p. 5, neque an. 842, ceu perhibet HYBLÆRUS in  
*Histor. Polit. Tom. IV. p. 901*; nedum annus 941, ut refert *Au-  
 thor Dissertationis de Waregia, Londini Gothor. 1731 habita.*  
 Epochæ quippe Rufforum antevertit periodum Julianam an-  
 nis 795. (i) Principes hos potentes admodum fuisse pi-  
 ratas, qui Holmgardiam, a se ipsa dissentientem, vi ar-  
 misque sibi subjecerunt, præter omnium annalium fidem ex-  
 istimat G. ACHENWALL in *Grundsätze der Europäischen Ge-  
 schichte* p. m. 489. (k) Confr. *Histor. Spec. Tom. 1. p. 538.*  
 (l) Scilicet Ragnari LODBROKI filii fuerunt ERICUS, BJOERNO  
 JÄRNSIDA, HWITSEKERUS &c. BJOERNONIS filius erat ERI-  
 CUS, hujus filius BJOERNO, atque hujus filius ERICUS, quem sæ-  
 pius nominatum RURECUM fuisse existimat DALINUS. (m) Vid.  
 PERINGSKOELDI *Åttartal* p. m. 31. (n) Vid. ALEXANDRI GUAGNI-  
 NI descriptionem *Moschovix* p. m. 163. (o) Vid. HERBERST. *libr.*  
*cit. p. m. 3.* (p) Vid. DALINI *libr. cit. p. m. 540.* (q)  
 Vid. DALINI *libr. cit. p. m. 529.* (r) Vid. *Chronicon Theo-  
 dosianum ante cit. p. II.* (s) Vid. STRAHLENBERGII *libr. cit.*  
 p. m. 173. (t) Confr. adhuc STRAHLENBERG, *loc. cit. p. 198.*

§. LIII.

Rureco defuncto in imperium successit filius ejus INGO vel IGOR (*a*), Princeps acri admodum ingenio, ideoque in suum sæpius præceps exitium, nisi ferociam illius hinc conjux ALOGIA vel OLGA (*b*) sua modestia atque connatis gratiis mitigasset, illinc autem celebris quidam Holmgardiæ civis, OLEGUS vel OLAVUS dictus, quem Pater decedens tutorem illi constituerat, prudentiæ suæ frigore imperum ac fervorem hujus Principis multoties restinxisset (*c*). Cumque hic *Olegus* summam imperii Holmgardici solus aliquamdiu administraverit, præclara ejus facta, jubente ita temporum serie, breviter exponemus. Licet igitur *Rurceus* fatis debellasset Kiovienses, at tamen, ipso mortuo, cristas erexerunt, atque ductu, ut videtur, Aflaci antea memorati nova moliri cœperunt. Contractis autem celeriter copiis, Kioviam properat OLEGUS, atque inimicum non tam superatum, quam deceptum, e medio tollendum curavit; quo factò, in præmium laborum Palatinatui Kioviensi præficitur (*d*). His gestis, bello persecutus est *Drewlianos*, *Severios*, atque *Rodomirios*; quos omnes populos, expugnatis eorum urbibus, sibi tributarios reddidit (*e*). Interjecto tempore idem Olegus partim ex *Svetthia* (*f*), partim ex Holmgardia, aliisque vicinis terris ingentes comparavit copias, imperium Constantinopolitanum debellaturus (*g*). Mox quoque suburbia Constantinopolis incendit; ne vero exitiale hoc incendium latius serperet, sed mugientia to-

nitrua tempeſtively evitaret Imperator LEO, miſit Legatos ſuos ad Holmgardos, qui tributa quævis nec non largos commeatus *Olego* offerrent. Illa non aſpernabatur Holmgardorum dux, hos autem rejecit, munificentiæ Imperatoris, nuper reconciliati, parum fidens; pacem nihilominus deſideratam ipſi indulſit, ſolemnique modo confirmavit. Hinc vero diſcedens, in ſignum victoriæ reportatæ clypeum ſuum ex turri quadam Conſtantinopolis ſuspendendum curavit, quod factum eſt An. circiter 907 (*b*). Elapſis quinque annis miſit OLEGUS, XIII illuſtres viros (*i*) Conſtantinopolin, qui fœdus initum renovarent, atque diſcordiæ ſemina penitus tollerent (*k*). Paulo ante INGO ſedem ſuam, neſcio qua de cauſa, Holmgardiam tranſtulit, prope quam urbem a WILKINO KUILLANO prælio victus quidem, verum ope Mentoris ſui, Olegi, iterum imperio admoſtus fuit (*l*). Tandem Olegus cum in equi ſui, jam pridem mortui, caput pede forte impegifſet, ſerpentis inde erumpentis venenato morſu, ut perhibent annales, læſus occubuit, poſtquam & gloriam & potentiam Holmgardorum ſua prudentia & fortitudine vehementer auxerat (*n*). Nemo igitur eo tempore tam ferus fuit, quin caſum magni hujus viri lacrymaret. Corpus autem ejus in monte *Scheſkovil* magna cum pompa terræ mandatum fuit, ubi ſepulcrum ejus poſt intervallum duorum ſeculorum conſpicebatur (*o*).

---

(*a*) Diverſo plane modo nomen hocce ſcribitur. A Ruſſis enim



enim *Igor*, a Græcis Scriptoribus *Игорь*, ab aliis vero Au-  
 ctoribus INGO hic Princeps appellatur. (b) Haud satis in-  
 ter se conveniunt Historici, ex qua domo Princeps hæc  
 orta fuit. Si *Petrejo*, aliisque bene multis, fides sit habenda,  
 ex domo Pleſchoviensi suos reperit natales; quod, an ve-  
 rum sit, cum *Truvorus* nullos reliquerit liberos, aliis discer-  
 nendum relinquimus. Sin vero STRAHLENBERGIO *Libr. cit. p.*  
*95. in fine not.* est adfurgendum, filia fuit GOSTOMISLI, civis  
 illius Novogardensis primarii, cujus in antecedentibus men-  
 tionem fecimus, quippe quem hoc fœdere arctius sibi devincire  
 voluit prudentissimus RURECUS. Vereor autem, ut hæc  
 opinio omnium obtineat suffragia, cum annales Russorum  
 hanc Gostomisli filiam plane ignorent. Veritati igitur magis  
 est conveniens, quod ALOGIA ex domo Kioviensi fuerit  
 orta. Namque non solum familia Kioviensis cum Domo Re-  
 gia Upsaliensi, quidni etiam cum Holmgardica? olim fuit con-  
 juncta, verum etiam Rurecus in expugnatione Kioviæ Princi-  
 pem hic regnantem invenit ALOGIAM vel OLGAM, vid. STRAH-  
 LENBERGII *libr. cit. p. m. 173*, quam procul dubio Ingoni  
 filio tum despondit. Quibus accedit, quod ALOGIA, cum  
 Rex Holmgardiæ longinquis distinebatur bellis, inprimis  
 vero post hujus obitum, soli natalis amore velut capta, se-  
 dem imperii elegerit Kioviæ, ut ex HERBERSTEINIO, aliis-  
 que colligi potest. (c) Vid. PETREJI *libr. II. p. m. 6.* (d)  
 Confr. *Chronicon THEODOSIANUM libr. cit. p. m. 13.* Hic  
 Olegus Krivitzis, Meranis, aliisque populis injunxit, ut  
 justa tributa Waregis solverent. (e) Vid. *Chronic. memor.*  
*p. cit.* (f) In hac expeditione decem mille Waregorum ope  
 adjutum fuisse INGONEM, ex POVIEST VREM ANICH  
 ref. et HELSINGIUS in *dissertac. cit. p. 63.* (g) Causam hujus  
 expeditionis Constantinopolitanæ ne quæras; ea enim fue-  
 runt avi illius studia, ut usum armorum sapius, quam causam  
 respicerent; hominibus quippe inter arma enutritis gra-

ve fuit, diu pacem pati, uti recte observat *PERELIUS* in *Not. ad Hervara Histor.* p. 47. (b) Vid. *Chronicon* cit. p. m. 16, 17. (i) In annalibus Rufforum hi nominantur *KARLI*, pro quo nomine, quod Goth. *Virum fortem ac robustum* significat, legendum esse *JARLI*, existimat *Cel. MÜLLERUS*. Ceterum cum nomina horum legatorum plane Gothica fuerint, firmiter inde concludit *BATERUS* in *dissert. de Wæregis*, Tom. IV. *Act. Petropol. inserta*, Wæregos fuisse Sveonas. (k) Vid. *Chronicon* cit. p. 16. 17. Ubi ipsum pacis instrumentum exhibetur. (l) vid. *Historiam WILKINORUM*. (m) Conf. *HERBERSTEINI* libr. cit. p. m. 3. (n) Vid. *nominat. Chronicon* p. 18. 19.

§. LIV.

Mortuo *Olego*, facies rerum *Holmgardicarum* perquam mutata fuit. Nam fortuna, quæ *Olego* impense faverat, contra *Ingonem* velut tergiversata fuit. In initio enim imperii Rex hic acceptam hereditate gloriam domestica virtute aucturus, expeditionem in Orientem suscepit, imperatorem *Constantinopolitanum*, qui pacem violaverat (a), ad officium redacturus. Primo secunda admodum usus est fortuna, adeo ut totam ferme *Asiam Minorem* in suam redegerit potestatem. Contractis autem celeriter copiis, duces *Græcorum* non solum *Ingonis* imperum fortiter sustinuerunt, verum insuper victas eum dare manus, atque in patriam suam se recipere coegerunt (b). Hæc autem clades animum ejus non fregit, sed ad nova prælia incitavit. Impetrata enim ope *Wæregorum*, *Polonorum*, aliorumque populorum, *Con-*  
*stan-*

stantinopolin rursus contendit. Ut vero imperator, ROMANUS dictus, numerum & adventum harum copiarum cognovit, satis prævidit, suas vires huic turbini repellendo nequaquam suffecturas. Missis igitur ingentibus donis, ferociam Ingonis mitigare studuit, pacemque ita circa An. 945 redemit (c). Posthæc INGO in Thraciam & Bithyniam bellum movens, sed ferociter magis, quam prudenter res suas agens, primum prope Heracleam (d), mox juxta Nicodemiam (e) victus, infectis rebus domum redire coactus fuit. Verum nondum ærurnarum satis. Cum enim Drewlianis (f) majora imposuerat tributa, quam quibus ferendis pares essent, brevi post expertus est, quid possit in desperationem versa temeritas. Drewliani quippe ductu Principis MALDITTI Regem Holmgardiæ, paucis stipatum copiis, prope vicum quendam, Coresten nuncupatum, gravi prælio victum interfecerunt (g). Sed Drewliani ob hoc facinus mala quævis sibi præfagiebant, probe scientes, quod ALOGIA virilem animum in muliebri gereret corpore. Vindictam igitur declinaturi, legatos ad ipsam miserunt, qui nuptias inter illam ac Principem *Maldittum* conciliarent, causam interferentes, quod hac ratione discordiarum femina inter hæc nationes penitus tollerentur. Legatis vero his, ceu ignobilibus, in fovea quadam sepultis, ad Drewlianos misit, qui nunciarent, si de suis nuptiis quid agere vellent, præstantiores sibi mitterent viros, quos advenientes in balneo comburendos curavit (h). Interea vero copias undique contrahit Pentheilea hæc

hæc Holmgardica, quibus Drewlianos ea alacritate & fortitudine adgreditur, ut gravem hi acceperint cladem: sicque necem conjugis mascule ultra fuit (i). Collapsis Holmgardorum rebus ira restituta, *Alozia*, considerans faculas illas veritatis cælestis, quas Kioviæ pridem adspexerat, Constantinopolin proficiscitur, ut de præstigiis religionis paganæ plenius convinceretur. Hic autem non solum religionem amplexa est Christianam, & sancti baptismi lavacro An. 955 circiter a Patriarcha PHOTIO initiata, nomen HELENÆ adsumsit, verum etiam sacra hæc per Holmgardiam propaganda curavit, nec non filio suo, ut eadem amplecteretur, frustra licet, persuadere conata est (k). Dum vero Constantinopoli commoratur, ob præclaras admodum animi & corporis dotes Imperatori CONSTANTINO ita placuit, ut illam, ætate licet proVectam, matrimonio secum conjungere voluerit; ipsa autem tædas jam exosa conjugales, splendidam conditionem sibi oblatam recusavit (l). Dicitur ad annum usque octogesimum vixisse, suorum semper delictum, vicinorum admiratio, hostiumque terror; cujus virtutes tanti adhuc faciunt Moschovitæ, ut Soli ipsam æquiparent, atque in memoriam ejus diem undecimam Julii quotannis celebrent (m).

---

(a) Vid. DALINI *Histor. cit. p. m. 540.* (b) Vid. *Chronicon Theodosianum ante cit. p. m. 20.* (c) Vid. *Chronicon cit. p. 22*; ubi etiam instrumentum pacis occurrit, quod XVIII articulis continetur, ex quibus inter alia colligi potest, quod Holmgardi ea tempestate litterarum rudes non fuerint. (d) Confr. *BJOERNERI Schediasma de Waregis p. m. 7.*  
2041

(e) Vid.

(e) Vid. *HELSINGII dissertat. cit. p. 63.* (f) Populos hos, qui in annalibus Russorum subinde etiam *Petzenegi* appellantur atque progenies fuisse Hunnorum creduntur, ad fluvios *Desnam & Semm* in Ukraina quondam habitasse, Auctor est *STRAHLENBERG libr. cit. not. a. p. 271.* (g) Vid. *HERBERSTE Nil libr. cit. p. m. 3.* Hoc factum est An. 950 circiter, vid. *SCHOETTGENII Dissert. de Ruthenorum originibus p. m. 13.* (h) Hujus ferocem animum imitata videtur *ERICI VICTORIOSI* conjux *SIGRID STORRÅDA.* (i) Vid. *Chron. Theodos. parte II. Libr. cit. p. m. 93. & 94.* (k) Conf. *DALINI Histor. cit. p. m. 541.* (l) Vid. *Chron. cit. p. 94.* (m) Vid. *HERBERSTEINI libr. cit. p. m. 3, nec non STRAHLENBERGII libr. cit. p. 270.*

§. LV.

Ex dilectissima conjuge duos filios *FUJEWASTUM* (a) atque *SVENTOSLAVUM* seu *SVITURSLAVUM* (b) susceperat *INGO*, quorum cum ille ante patrem naturæ debitum reddidisset, jure hereditatis Imperium *Holmgardicum* ad *Sventoslavum* pervenit. Cum vero hunc impuberem reliquerat Pater decedens, ita constituit, ut *Regina*, dum Princeps adolesceret, summam imperii teneret quidem, uteretur tamen opera duorum illustrium *Svecorum ASMUNDI* (c) scilicet in rebus civilibus, atque *OSTENI SVENALDI* (d) in bellis gerendis (e). Mox altiora spirare incepit *Sventollavus*, atque, ut arduis sufficeret moliminibus, in corpore firmando rigorem *Spartanorum* æmulatus est, adeo nullos labores aut ancipites molestias exhorruit (f). Placuit hoc studium *Alogie*, ideoque quoties bellum gereretur, filium in societatem

militia adsumsit, ut truculentis his artibus mature  
 advesceret. Tirocinia deinde fortitudinis positurus,  
 copias contraxit; quibus tamen non permisit, ut vel  
 curribus ad commeatum transferendum, vel tentoriis,  
 quibus se tegerent, uterentur; ipse, ut exemplo  
 suo milites excitaret, carnibus tostis duntaxat vescens,  
 laboribusque exhaustus humi quiescens, sella  
 capiti subjecta. His phalangibus brevi admodum tempore  
 superavit *Cosaros* atque *Bulgaros* (g). Post hæc sedem  
 imperii *Kiovia*, ubi hætenus cum matre habitaverat,  
*Pereaslaviam*, urbem commerciis exercendis magis idoneam,  
 transtulit (h). Circa hæc tempora *Sventoslavus*,  
 ut longinquis expeditionibus eo liberius vacaret,  
 præpostero in suos amore regnum inter filios,  
 quos binos ex conjuge *ELLINGBORG* (i) fuisseperat,  
 ita divisit, ut major natu *JAROPOLKUS* seu *HARALDUS*  
*Kiovia* obtineret, *OLEGUS* (k) vero terras acciperet  
*Drewlianorum*, & denique *WOLODOMIRO* seu *WALDEMARO* (l)  
*Novogardiam* magnam concederet. Hoc factò, Imperatoribus  
*Græcorum* *BASILIO* atque *CONSTANTINO* bellum denunciat,  
 qui, nullis legatis, pacem petunt, liberaliter polliciti,  
 se singulis militibus, modo numerum eorum cognoscerent,  
 munera quædam daturus. Interea vero ingentem parant  
 exercitum, quo *Sventoslavum*, nihil hostile metuentem,  
 subito adgrediuntur. Ipse autem, confirmatis suis copiis,  
 in adversum hostem raptus, turmas *Græcorum* instar  
 fulminis prostravit, victoriamque insignem reportavit.  
 Mox Imperatores pretiosissima munera, aurea & argentea  
 vasa, nec non eximias trabeas Regi

gi Holmgardiæ miserunt, quæ tamen omnia ipse alto fastidivit supercilio. Postquam autem gladios aliaque belli instrumenta ipsi obtulissent, hæc hilariter adeo excepit, ut obsidionem, Constantinopoli intentatam, distulerit & pacem inierit (m). Sic sese in Oriente gerendo, tantam virtutum ipsius opinionem conceperunt gentes, ut ad ipsum certatim confluerint, militiæ ejus adscribi cupientes (n). Opimis autem spoliis onusto, & in patriam reversuro occurrit Petzenegorum Princeps CURES, hujusque subdolis artibus circumventus, vitam simul & exercitum amisit. Quid? Quod amputato capite ex cranio illius poculum conficiendum curaverit truculentus hic victor, addito epigrammate: *Aliena querendo propria amisit*. Atque isthæc Holmgardorum clades contigit A. C. 972 circiter (o). In singulis his expeditionibus *Sventoslavum* comitatus est *Svenaldus* supra memoratus, qui vero interea gravissimum accepit vulnus morte filii, LJUTER dicti (p), quem *Olegus* levi de causa interfecerat. Pater igitur acerrimam spirans vindictam, JAROPOLKUM adiit, ipsique persuasit, ut fratri *Olego* bellum inferret. Hujus precibus motus *Drewlianos* adgreditur *Jaropolkus*, ipsorumque exercitum prostrernit. Hac clade occubuit *Olegus*, quem tamen inventum, nec sine dolore agnitum, honeste sepeliendum curavit Rex Holmgardiæ (q). Par quoque fatum subierat WALDEMARUS, nisi ad Waregiæ seu Svethiæ Regem ERICUM VICTORIOSUM tempestive confugisset (r).

(*a*) Hujus filii mentionem factam non vidimus præterquam in titulo foederis, quod INGO cum Imperatoribus Constantinopolitanis iniit, Vid. *Chronic. Theodos. Part. 1. p. m. 22.*

(*b*) Pro vario populorum loquendi genio diversimode quoque nomen hujus Principis exprimi solet. Monumenta pleraque Ruthenica habent Svetoslavum, a Græcis autem Scriptoribus nuncupatur Σφενδόσλαβος, ab aliis autem *Svicurfiavus, Svetislavus, Svatozlavus, & Stojlavus*; convenientissime autem *Sventoslavus* appellatur. Vox hæc hybrida esse videtur, ipsum enim nomen Gothicum est, terminatio autem Slavonica. (*c*) Vid. *HELSINGII Dissertat. cit. p. 64 in not. b.* (*d*) De origine hujus vid. *DALINI Histor. cit. p. m. 542.* Cum nomen hujus diversimode effertur, dicitur enim *Svenaldus, Svendellus, Svencellus, Sphagellus, BATERUS* libr. cit. p. 289, in eam incidit opinionem, quod duo diversi viri hic indigentur, quos tamen annales Russorum ignorant. (*e*) Vid. *Chronic. cit. Part. II. p. 93.* (*f*) Confr. *HERBERSTEINII libr. cit. p. m. 3.* (*g*) Vid. *Chronic. memor. p. 97, 98.* (*h*) Vid. *HERBERSTEINII libr. cit. p. m. 4.* (*i*) Vid. *BJOERNERI libr. cit. p. m. 89, 90.* (*k*) Sunt nonnulli Scriptores, ut *VEREMILIS, DALINUS*, aliique, qui Olegum hunc confundunt cum Svenaldi filio, *Ljuter* dicto, sed contra omnem veritatem Genealogicam. (*l*) Filium hunc illegitimo toro ex MALISCHA, Civis Novogardensis CALCISCZÆ, haud ignobilis filia, quam *Dobrinam* in Tabulis Genealogicis perperam vocat *HYBNERUS*, cum *Dobrina* frater Malischæ fuerit Vid. *Chron. cit. p. m. 99*, quæque eo tempore in aula versabatur ALOGIÆ, fuisse susceptum, Annales memoriæ produnt. (*m*) Confr. *Chron. cit. p. m. 101.* (*n*) Vid. *HERBERSTEINII libr. cit. p. 4.* (*o*) Vid. *Chron. nominat. p. 102*, nec non *HERBERSTEIN, loc. cit.*

(*p*) Apud hunc aliquamdiu commoratus fuit Heros quidam Gothicus, RANGWALDUS dictus, qui procul dubio erat dux ille & antesignanus militum Gothicorum in Græcia, cujus

cip.



cippum delineatum nobis exhibet *PERINGSKJOELDRIS in Annot. ad vitam Theodorici Regis p. m. 460. (g) Vid. HERBERG STEIN. loc. cit. (r) Vid. DALINI Histor. cit. p. m. 543.*

§. LVI.

Ut in Svethiam pervenit WALDEMARUS, atque indigna, quæ ipsi in patria imminebant, fata prolixè exposuit, animosum Svecorum Regem sic permovit, ut extorri huic Principi magna confectum decreverit auxilia, ducemque his abituris dederit Principem acerrimum STYRBJOERNERUM (a), Regis OLAVI BJOERNSONII filium. Copiis his stipatus in Holmgardiam revertitur WALDEMARUS, Novogardiam, quam JAROPOLKUS interea sibi subjecerat, post brevem obsidionem expugnat, præfectosque fratris, ibi inventos, remittit, ut ipsi bellum denunciarent. Ut vero vicinos sibi devinciret populos, fratremque majoribus adgrederetur viribus, ad Petricovientem Ducem ROGWOLDUM seu RANGWALDUM, qui suum etiam ad Waregos genus referebat (b), legatos mittit, qui filiam ejus ROCHMILDAM in matrimonium sibi peterent. Ab hac autem cum non sine contumelia (c) repulsus esset, patri RANGWALDO bellum extemplo infert, ipsum cum duobus filiis instructa acie prostrernit, totam, quam tenuerat, regionem in suam redigit potestatem, filiamque, cujus nuptias nullis impetrare poterat precibus, felicibus armis sibi uxorem jungit. His gestis, recta Kioviam, quam JAROPOLKUS incolebat, cum exercitu contendit, urbemque obsidione cinxit. Cum autem videret, se aperto Marte nihil plane effecturum, ad dolos conversus, ducem JAROPOLKI, BLUTH dictum, amplis muneribus ita corrumpit, ut hic seditionem, Kioviæ exortam, simulans, JAROPOLKO persuadere non dubitaret, munitissimam hanc relinquere urbem. Successit facinus, & dum JAROPOLKUS Rhodem sese conferret, a militibus WALDEMARI comprehensus, miserandum

dum in modum trucidatus fuit (d). Fratris deinde viduam  
 in matrimonium duxit, atque ex ea filium SVENTOPOLKUM  
 suscepit. Felicem adeo rerum suarum successum armis præ-  
 cipue debuerat Waregorum WALDEMARUS, quos tamen  
 stipendia sibi debita, quæ nec denegare auderet, nec impræ-  
 sentiarum solvere posset, postulantes, vanis læstavit pollicita-  
 tionibus, donec fortiores eorum per varias dispersisset urbes.  
 Tum ceteris spe magnorum præmiorum persuasit, ut ad im-  
 peratores Constantinopolitanos sese reciperent, præmissis ta-  
 men legatis, qui Græcos monerent, ut, si seditiones Gothorum  
 evitare vellent, adventantes reciperent quidem, sed per di-  
 versas urbes dispergerent, nec quemquam redire sinerent.  
 Quod etiam factum esse, antiqua monumenta satis compro-  
 bant superque (e). Indignam hanc suorum sortem ægre feren-  
 tes ERICUS VICTORIOSUS atque STYRBJOERNERUS  
 orientales has provincias graviter deinde vexarunt, multas-  
 que earum in suam redegerunt potestatem (f). Interea WAL-  
 DEMARUS collapsam per Holmgardiam idololatriam re-  
 staurare nititur. Zelus tamen ejus mox deseruit, cum Ora-  
 tores, ex diversis oris advenientes, sua commendassent sacra,  
 Gentilium ritus oblique taxantes. Statim enim, ut acri fuit  
 ingenio, singula examinare cœpit, tandemque Græcorum ri-  
 tus cæteris prætulit. Misit igitur legatos Constantinopolin,  
 qui ANNAM (g), Imperatorum BASILII atque CON-  
 STANTINI sororem, in matrimonium sibi peterent; promit-  
 tens, si compos votorum fieret, se una cum civibus Græcam  
 religionem amplexurum, nec non oppida quædam Græcis re-  
 stitutum. Re impetrata, WALDEMARUS ipse in Græ-  
 ciam proficiscitur, atque ab ANASTASIO, Episcopo Corsu-  
 nensi (h), An. C. 987 circiter baptizatus, nomen WALDE-  
 MARI in BASILII commutavit (i). In patriam deinceps  
 reversus, nulli pepercit operæ, ut nominata Sacra per has  
 terras propagaret; quamobrem non solum templa (k) &  
 scho-

scholas per Holmgardiam extruendas curavit, sed Sacerdotes etiam misit, qui Bulgaros, superstitionibus patrum tenaciter adherentes, ad saniozem reducerent mentem (l). Posthac Petzenegos, crescentem potentiam Holmgardis invidentes, valide repressit (m). Nec plane est reticendum, quod OLAVUS TRYGGWONIDES, Norvagiæ Princeps, qui cum matre ASTRIDE in Esthoniã a piratis captivus fuerat abductus, in Aula WALDEMARI liberaliter fuerit exceptus, exercitiisque equestribus, quæ magnum olim decerent Regem, sollicitè educatus (n). Sequenti etiam tempore Princeps hic multos Holmgardorum ad sacra, quibus ipse in Græcia fuerat initiatus, suscipienda perduxit (o). Sed ad WALDEMARUM revertimur, qui sicut fortitudine & præclaris institutis admodum eluxit, ita juvenis præsertim voluptatibus atque libidini nimium indulgit. Nam præter legitimas conjuges, quas quinque duxit, plurimas habuit pellices, quas tamen omnes repudiasse dicitur, impetrata, cujus mentionem modo fecimus, ANNA (p). Holmgardiæ denique regno ab An. C. 976, ad An. 1015 usque tanta laude præfuit, ut a civibus dignissimus sit judicatus, qui in Sanctorum numerum referretur; in cujus memoriam diem XV Julii, qui fuit ejus emortualis (q), quotannis celebrant Moschovitæ (r). Sed hic filum narrationis aliquantisper abrumpere cogimur.

---

(a) Vid *Orationem*, quam INGERDIS OLAVI SKOTTKO-NUNGI filia ad Patrem habuit in *Histor. OLAVI Sancti C. LXXI*.  
 (b) Forte RANGVALDUS hic fuit idem, cujus mentionem fecimus §. LV. not. p. De genere ejus vid. HERRERSTEINI *libr. cit.* p. 4. (c) Objiciebatur scilicet illi, quod illegitimo toro fuerat susceptus, Confr. HERRERSTEINI *loc. cit.* (d) Vid. *Chronicon Theodof. v. m. 105.* (e) Refert hoc ipsum ex *Historiographo Russo* ad An. 980 BAYERUS in *assertat cit.* p.

304. (f) Vid. *VASTOVII Vit. Aquilon. edit. BENZEL. p. m. 21.* atque *Histor. OLAVI Sancti cit.* (g) Princeps hæc a *Chronographo* Russo dicitur ANASTASIA, ab aliis ALOGIA seu OLGA Vid. *DALINI Histor. cit. p. m. 543.* item ARLOGIA, ut habet *OERNHJELMUS in Tabulis Genealogicis.* Quod si ita fuerit, minime tamen confundenda est cum INGNIS conjugæ. Ceterum Græci Scriptores ipsam ANNAM appellitant. (h) WALDEMARUM instanter obsecratus est ANASTASIUS, ne a decretis septem conciliorum Oecumenicorum sese unquam dimoveri pateretur, vid. *STRAHLENBERGII libr. cit. p. m. 273.* (i) Confr. *HERBERSTEINII libr. cit. p. m. 5.* (k) Templo Cathedrali Kioviensi extruendo decimam partem opum suarum impendit WALDEMARUS, quare Ædes hæc DECUMANA est dicta, vid. *Chronic. cit. p. m. 111, 112.* (l) Vid. *STRAHLENBERGII libr. cit. p. m. 274.* (m) Vid. *Chronic. cit. p. m. 112.* (n) Copiose & pro more suo hæc eleganter admodum exponit *STURLONIDES in HeimsKringla Tom. 1. p. 216. seqq.* (o) Vid. *OERNHJELMI Histor. Eccles. SVIO-GOTH. Libr. IV. p. m. 585.* (p) Vid. *HERBERSTEINII Libr. cit. p. m. 5.* (q) *Chronicon nominat. p. m. 113.* (r) *STRAHLENBERGII libr. cit. p. m. 274.*

ERRAT. TYPOGR.

Pag. 3. lin. 22 pro *An. 686*, leg. *An. 682.*

